APPARATUS
AD
HISTORIAM
SVEO-GOTHICAM
CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,

PHIL. ET THEOL. D:R,

PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,

ET

PAULUS JOH. DUBB,

SCANUS.

DIE 16 DEC. 1840.

P. XXXV.

LUNDÆ,
TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.
MDCCCXL.

Aphorismi Respondentis.

I.

Errant, qui ad litteras res pertinentes, iis, quæ in moribus versantur anteferunt.

II.

Omnium artium liberalium fructuosissimam latissimeque patentem historiam existimo.

III.

Neque contendere dubito, cui in historia nihil aliud quærere placet nisi annalium confectionem, eum nullos historiæ fructus capere posse.

am in prosequendo debiles fuerint vel remissi, ab officio pontificiali et divinis et ingressu ecclesiæ sunt suspensi.

Punctus VII.

Item mandatur omnibus præfectis et capitaneis regni Sveciæ, quatenus pro pace et concordia reformanda in regno sceleratos homines compescant, et omnia contenta in ipso statuto, quæ expressa sunt satis in primo membro sine scrupulo machinationeve perversa studeant observare prout interdicti sententias in terras suas sine ulteriore monitione duxerint evitandas.

Punctus VIII.

Item ex statuto quod incipit: *Noverint*, prohibetur singulis presbyteris sub pœna privationis officii sacerdotalis, ne aliquis eorum nuptias benedicat temporibus a jure prohibitis. Contrafaciens, et postea celebrans, notam irregularitatis incurrit, a qua nequit citra sedem apostolicam liberari, nec aliquis episcoporum potest dare licentiam benedicendi nuptias in dictis temporibus vel eorum aliquo; qvod renovatur in statuto, quod incipit: *Quoniam nulla juris sanctio* &c. et statuitur quod ordinarii possunt super hac irregularitate dispensare, et in statuto, quod incipit: *In Nomine Domini, Amen. Nos Nicolaus* &c. statuitur quod arbitrarie puniatur.

Punctus XI.

Item ex eodem piratæ, raptores, incendiarii, viarum publicarum insidiatores, et aggressores, violenti hospitatores pauperis communitatis, ecclesiarum et cimiteriorum effractores et alii immunitatis ecclesiasticæ violatores, sine requisitione et speciali licentia episcoporum aut suorum officialium in spiritualibus, in ecclesiis et earum cimiteriis non poterunt sepeliri, nisi ablata restituerint, vel ante mortem emendandi firmam et plenam cautionem præstiterint, cum habuerint unde satisfaciant. Si vero in malitia sua perduraverint usque ad mortem, et pænitentiam in extremis humiliter postulaverint, nec habuerint, unde satisfaciant, vel securitatem emendandi præstiterint, pœnitentia et sacramentum corporis Christi non eis negetur, sed nullus presbyterorum vel clericorum ipsorum elemosinas vel dona recipere, vel eorum sepulturæ interesse præsumat, nec funera eorum benedicere, nec quicquam super ea legat pertinens ad officium sacerdotale. Si qui presbyterorum vel clericorum contra hoc facere præsumserit, officio et beneficio privetur.

Punctus X.

Item ex statuto: *Quoniam nulla juris sanctio,* qvi sortilegia incantationis &c. de quibus jam in ultimo membro dicetur.

Punctus XI.

Item damnantur et reprobantur sortilegia, et qui ea ut licita defendit, ab ingressu ecclesiæ suspenditur, et punitur in eodem membro.

Punctus XII.

Item ex statutis, quorum primum iucipit: *In Nomine Domini, Amen, anno a nativitate ejusdem &c.* et alterum: *In Nomine Domini, Amen. Anno Domini* &c. Usurarii publici carebunt ecclesiastica sepultura.

Punctus XIII.

Item qui oblationem eorum recipit, nisi restituerit, privandus est officio.

Punctus XIV.

Item quod capellani nobilium non communicent aliquos, sub pœna suspensionis, sine speciali licentia curati. Item ex statuto, quod incipit: *In Nomine Domini, Amen; Anno a nativitate ejusdem,* clericus concubinarius, talliatus semel per episcopum, recidivans debet suspendi ab officio, et perceptione fructuum beneficii, et carceribus ad arbitrium judicis debet deputari. Si autem, ut canis ad vomitum, adhuc ad consimilem vitam redire non expaverit, privari debet beneficio et suspensus ab officio, prout visum fuerit judici pœnitere. Et isti gradus observandi sunt, quando concubinæ sunt solutæ. Quod si mulier maritata fuerit vel consanguinea, affinis vel filia spiritualis, est juxta canones durius procedendum.

Punctus XV.

Item concubinæ presbyterorum, si post injunctam eis pænitentiam septennem relapsæ fuerint, carere debent ecclesiastica sepultura, nisi infra mensem ante diem mortis consimilem pænitentiam susceperint iterato.

Punctus XVI.

Item ex statuto quod incipit: *In Nomine Domini, Amen:* Domini episcopi et superiores, qui locant domos usurariis, suspensi sunt. Collegium et universitas interdicti sententias incurrunt.

Punctus XVII.

Item clerici, qui usuras exercent, ab officio et beneficio sunt suspensi.

Punctus XVIII.

Item ex eodem prohıbetur, ne usurarii ex una diœcesi in aliam transferantur tumulandi.

Punctus XIX.

Item ex statuto: *In Nomine Domini, Amen. Nos Nicolaus*, non decimantes carebunt ecclesiastica sepultura.

Membrum Qvartum.

Punctus I.

Qvantum ad ultimum, ex statuto sabinensi disponitur quod sacerdotes possunt relinquere per testamentum, si quid ex hæreditate vel artificio aut doctrina, seu ex dono eis facto, contemplatione non eccsesiæ, sed personæ, eis obvenerit Sed ex statuto seu canone: *Fecit Deus hominem,* disponebatur super bonis decedentium clericorum, ut tunc beneficiati, tam indigenæ quam alienigenæ seu extranei, medietatem bonorum mobilium et immobilium intuitu ecclesiæ acquisitorum testandi, donandi seu alias ordinandi pro libito voluntatis liberam habeant facultatem, reliqua medietate præservata futuro successori. Sed beneficiati ex post de omnibus acquisitis intuitu ecclesiæ, relictis futuro successori, deductis ex indiviso debitis procurationibus et expensis necessariis faciendis et exequiis defnnctorum *).

---

*) Obscura sunt hæc verba: illustrari tamen debent ex statutis Jac. Erlandi supra adductis in tit. *de bonis clericorum decedentium.*

Punctus II.

Item quod bona clerici, juste a suo beneficio privati, intuitu ecclesiæ acquisita devolvantur ad futurum successorem, et in statuto: *Quoniam nulla juris sanctio*, præcipitur, ut canones et statuta provincialia observentur circa bona decedentium sacerdotum.

Punctus III.

Item in statuto quod incipit: *In Nomine Domini, Amen. Nos Nicolaus* &c. statuitur, quod clerici quicunque, tam alienigenæ, quam indigenæ, de bonis propriis, quocunque intuitu acquisitis, disponendi in suis testamentis liberam habeant facultatem, et quod executores eorum ultimam exequantur voluntatem testatoris, et si decesserint ab intestato, ordinarius, cum consensu sui capituli, statim comperta ejus morte discretos executores ordinet, qui bona defuncti, solutis primum debitis procurationum &c. in tres partes principaliter dividant, quarum una cedit pauperibus, præsertim studentibus, altera hæredibus, & tertia per episcopum cum consensu capituli pro defuncti anima ordinetur. Et testatus decedit clericus, qui coram duobus ad minus testibus fide dignis testamentum condiderit, et codicillum scripserit seu scribi fecerit, proprioque vel sui sigillo roboraverit confessoris.

Punctus IV.

Item ex statuto Nicolai disponitur ut defuncto presbytero hæredes succedant, prout antiquitus fieri consvevit, ita tamen qnod si tempore mortis agri fuerint seminati, fructus inde provenientes futurus percipiat sacerdos, si vero collectis segetibus presbyter decesserit, futuro semen sufficiens pro fundo seminando reservetur, cum domibus et feris domorum; et quod ante delationem aliquorum bonorum extra fundum ecclesiarum per hæredes debita persolvantur; et quod de obventionibus post mortem presbyteri in colligendo se nullatenus intromittant; et quod inventarium ordinent ad utilitatem ecclesiæ pro sustentatione presbyterorum.

Punctus V.

Item ex statuto sabinensis episcopis visitantibus in virtute sanctæ obedientiæ præcipitur, ne aliquid a sacerdotibus præterqvam solam procurationem exigant, vel oblatum recipiant; et ubi in Upsalensi, Stregnensi, Scarensi et Arosiensi diœcesi solent Archi-episcopus et episeopi qua-

APPARATUS

AD

HISTORIAM SVEO-GOTHICAM

CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,

PHIL. ET THEOL. D:R.

PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,

ET

SIMON OL. HENDEBERG,

SCANUS.

DIE 16 Dec. 1840.

P. XXXVI.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXL.

Aphorismi Respondentis.

I.

Studium historiæ maxime ad hominem cognoscendum valere, idemque litterarum antiquarum ad animi vires excolendas conducere dico.

II.

Scientiam logicam fundamentum esse philosophiæ contendere audeo.

tuor diebus hospitari causa visitationis, hospitetur seu hospitentur tribus; et ubi solent tribus, habeat sacerdos optionem vel redimere cum marca argenti et dimidia, vel procurare cum viginti equitaturis; et ubi duabus, habeat optionem vel redimere cum marcha argenti, vel cum viginti eqvitaturis procurare. In Strengnensi tamen diœcesi si voluerit redimere cum marcha argenti, adiiciat duas metretas mellis. In lincopensi autem et vexionensi diœcesi dimissa est diei tertiæ mensa; de duobus autem diebus habeat optionem sacerdos vel redimere cum marcha argenti et dimidia et quatuor metretis mellis, vel cum viginti tantum equitaturis procurare.

Punctus VI.

Item ex eodem, oblatio quæ offertur ab episcopo in ecclesia parochiali missam audiente vel celebrante, et ab hiis, qui cum eo sunt, et propter eum venerunt, in die solenni, quando solet populus generaliter juxta consvetudinem regionis offerre, cedat capellanis episcopi; oblatio parochianorum curato. Item si contingat ecclesiam pro alicujus delicto interdici, pro quo episcopus emendam receperit pecuniariam, episcopus sacerdoti damnificato propter interdictum satisfaciat.

Punctus VII.

Item quod jurare faciat officiales suos, dictos exactores, super evangelia, quod officia sua cum veritate et sine calumnia et bona fide peragant, et quod de causis matrimonialibus, vel aliis spiritualibus, cum laici sint, se nullatenus intromittant.

Punctus VIII.

Item quod legati sedis apostolicæ procurabuntur per episcopos pro tertia parte de expensis de camera, et pro duabus reliquis partibus per ecclesias diœcesis; facta distributione inter ipsas, prout cujuslibet suppetunt facultates.

Punctus IX.

Item ad finem hujus statuti reservatur absolvendi potestas Archi-Episcopo et suffraganeis suis, cuilibet pro sua diœcesi, illos qui excommunicationem incurrunt ex ipso facto, suspensionem et interdictum; si tamen prius reddiderint ablatum, et satisfecerint de damno dato. Et præcipitur ut Archi-Episcopus et episcopi statutum illud in suis synodis annuatim publicent.

Punctus X.

Item ex statuto: *Zelus Domus Dei,* clerici concubinarii in quarta parte redituum ecclesiarum unius anni puniuntur, et statuitur, quod procedatur contra eos, si moniti concubinas non dimiserint, per censuram ecclesiasticam, et quud episcopi, qui recipientes pecuniam ab ipsis concubinariis statutum violaverint, duplum illius quod receperint infra mensem restituere teneantur.

Punctus XI.

Item ex statuto vel canone: *Ammonet,* modificantur seu moderantur expensæ et pabulum episcopis visitantibus; ita quod episcopi ad pabulum equorum pro duabus noctibus quinque tynnonibus, pro cerevisia quatuor, pro panibus triticeis, siligineis et ordeaceis tribus tynnonibus, uno pecore, duabus ovibus, uno lardo, sive uno porco recenti; loco ovium et lardi VIII pullis, duabus ancis, die carnis, cum lacticiniis et piscibus diebus sequentibus sint contenti.

Punctus XII.

Item quod candelas habeat competentes, et medonem, ubi mel consveverat exhiberi, ita quod cutes, pelles et sagimen residuum candelarum et cerarum, quæ superfuerunt, remaneant sacerdoti, et hoc de taxatione expensarum et pabuli intelliguntur quoad eeclesias sufficientes, ita quod ad pauperculas ves capellas, quæ in visitationibus jungi consverant, non extendantur.

Puuctus XIII.

Item absolvitur presbyter ab omni procuratione illo anno, si episcopus ultra tempus præfixum malitiose distulerit procurationem recipere; si vero fuerit episcopus canonice, puta corporis debilitate, regis vel ducum, vel Archi-episcopi vocatione, præpeditus, tenetur tunc Sacerdos, cum episcopus voluerit et commode poterit, ipsum procurare.

Punctus XIV.

Item ex statuto, quod incipit: *In Nomine Domini, Amen; a nativitate ejusdem,* promittunt Archi-episcopus et suffraganei se nolle, sicut non debent, excedere in visitationibus numerum equorum a jure taxatum, et contentare se velle pabulo moderato.

Pnnctus XV.

Item ex statuto seu canone: *Sacrorum Canonum* prohibetur, ne absque literis dimissoriis et formata a jure expressa suscipiantur clerici peregrini ad inofficiandum ecclesias; maxime theutonici, frisones. anglici et daci; suscipiens autem tales sine licentia sui episcopi, etiamsi literas dimissorias habeant et formatam in tribus marcis usualis monetæ puniatur. Hæc prohibitio repetitur in statuto: *Noverint,* et augetur pæna contra facientium ad marcam argenti puri, et iterum repetitur in statuto: *Quoniam non debent* et augmentatur ad XL. marcas denariorum.

Punctus XVI.

Item clericus deferens calicem, libros vel ornamenta ecclesiæ ad loca prophana pro celebrando in ipsis, absque diœcesani licentia, pœnam trium marcarum incurrat.

Punctus XVII.

Item ex statuto vel canone: *In maligna,* præpositi, archidiaconi, decani, canonici et sacerdotes clause desuper non deferentes indumenta nimia brevitate vel longitudine non notanda, ita quod exterius nullatenus se cingat, et qui tonsuram non habent competentem, in tribus marchis puniantur.

Punctus XVIII.

Item quod clerici clericis transeuntibus et servientibus ipsis tenentur necessaria vendere, seu venalia invenire, nisi ipsos colligere voluerint intuitu charitatis; alioqvin in tribus marcis puniuntur, quarum duæ cedant ordinario, et tertia cui inhumaniter necessaria fuerint denegata.

Punctus XIX.

Item ultra sententiam excommunicationis, quam incurrunt clerici transeuntes et per violentiam aliquid rapientes in curiis sacerdotum per se vel suos servientes, puniuntur in XL. marcis; de quibus XXVI. marcæ cum XVI. solidis cedant ordinario, et XIII. marcæ cum VIII. solidis, cui violentia est irrogata.

Punctus XX.

Item quilibet episcopus habeat elemosynarium juratum, qui fragmenta refectorii sui colligat in usum pauperum Christi convertenda.

Punctus XXI.

Item ex statuto vel canone: *Cum de viris*, prohibentur sacerdotes rurales canonicis ecclesiarum se præferre.

Punctus XXII.

Item si propter singularis personæ interdictæ vel suspensæ ingressionem in ecclesiam a communione fidelium cessatur, aut a celebratione missarum, non absolvetur talis, antequam ecclesiam et plebanum reddiderit indempnes.

Punctus XXIII.

Item submittit se in eodem statuto statuens legi statutæ, salvis sibi pro numero evectionum a jure sibi permisso, amplioribus expensis, ultra taxationem superius pro episcopis visitantibus moderatam.

Punctus XXIV.

Item mandantur statuta, una cum statuto sabinensis, in synodo publicari; quod etiam mandantur in statuto: *Noverint:* et extenditur ad presbyteros rurales, ut ea habeant et legant curatis, quando suas visitant contractas.

Punctus XXV.

Item deinde præcipitur presbyteris, ut ad synodum honeste ambulent, et in honestis hospitiis se recipiant; ne nimis cito iter veniendi ad synodum arripiant, ne longam moram in loco synodi trahant, et ne recedant absque licentia speciali.

Punctus XXVI.

Item ut jejuni intrent synodum, et ne negotia impertinentia ad synodum proferant.

Puncten XXVII.

Item quod baptismum honorabiliter et caute celebrent, et traditur forma baptisini, et qualis erit forma quando dubitatur de baptizando; videlicet: *si es baptizatus, ego te non rebaptizo, sed si non es baptizatus, ego te baptizo*; et quod doceantur laici in lingua materna bap-